

ubi Christus *εὐχαριστήσας*, gratias agens, sanctissimum Corpus et Sanguinem suum praebeuit Apostolis dicens: *Accipite, et comedite: Hoc est Corpus meum: ... Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus.* *Trid.* sess. 13. C. 1. docet: *Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Coena Redemptorem nostrum instituisse.* Ex quibus patet, quod adsint omnia ad Sacramentum requisita. *Primo* enim habetur *Signum* visibile, scilicet species panis et vini, sub quibus continetur Corpus et Sanguis Christi. *Secundo*, signum efficax invisibilis gratiae ex promissione Christi Joan. 6. v. 50.: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* *ibid.* v. 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* *Tertio*, de institutione divina jam dictum est. Si desideres mandatum, lege illud Luc. 22. v. 19., ubi Christus instituens hoc Sacramentum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* Joan. 6. v. 53. ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* ergo habentur omnia ad rationem Sacramenti requisita.

247. *Praenot. III.* Varias haereses ortas circa Sacramentum Eucharistiae breviter recenset *La Croix* L. 6. p. 1. n. 405., *Tournely* in Praelectionibus Theologicis Tom. 2. de septem Sacram. de Euch. q. 2. a. 1. Praecipua autem de Eucharistiae doctrina capita scitu necessaria optime ad instructionem fidelium desumuntur secundum ordinem ex *Trid.* sess. 13. C. 1., ubi docet realem praesentiam D. N. J. C. in hoc S. Sacramento. *Ibid.* Can. 1. definit: *Si quis negaverit, in S. Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem Christi, una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Per particulam *vere* docet *Trid.*, Christum non esse praesentem tantum per figuram et imaginem, ut docuit saeculo undecimo Berengarius, quem errorem revocavit subscribendo formulae fidei in Synodo Romana anno 1079., ut habetur T. 10. Conc. p. 378. Particula *realiter* docet, Christum non tantum objective per fidem esse praesentem; *substantialiter*, non tantum per virtutem a Christo diffusam, ut docuit Calvinus. Probatio hujus veritatis desumitur ex verbis Christi: *Hoc est Corpus meum.* Item: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Joa. c. 6. etc.

248. *Secundo*, instruendi sunt fideles, per consecrationem panis et vini fieri conversionem totius substantiae panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Christi D. N., ita ut non remaneat substantia panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C., sed maneant tantum species panis et vini; quam conversionem singularem Ecclesia vocat *transubstantiationem.* *Trid.* sess. cit. c. 4. et Can. 2.

249. *Tertio*, instruendi sunt, in venerabili hoc Sacramento tantumdem sub alterutra specie, quantum sub utraque, contineri; totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, et sub ejus partibus singulis, separatione facta, existit; quamvis enim ex vi verborum Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini, totum tamen Corpus Christi, quod jam est vivum, adeoque cum sanguine et anima Christi sub utraque specie existit vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit et non amplius moritur, inter se copulantur: divinitas quoque sub utraque specie existit propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. *Trid.* l. c. c. 3. et Can. 3.

250. *Quarto*, instruendi sunt fideles, hoc Sacramentum non consistere

tantum in ipso usu, sive in actuali manducatione (ut voluit Lutherus in articulis Concordiae anno 1536. et Calvinus L. 5. Instit. c. 17. §. 3., unde hi Sectatores deduxerunt, nullum cultum pani Eucharistico exhibendum esse, reliquiasque ex Coena superstites in usus profanos consumi posse) sed Corpus et Sanguinem Christi vere ac realiter et substantialiter esse in hoc Sacramento peracta consecratione ante et post sumptionem, quamdiu panis species remanent incorruptae, ideoque omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto patriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibere debemus; *nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Psal. 99., *quem Magi proidentes adoraverunt.* Matth. 2., *quem denique in Gabilaea ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.* Matth. 28. v. 17. Ita *Trid.* l. c. C. 5. vide *ibid.* Can. 4. et 6. Ex his etiam inferitur contra *HH.*, retinendam esse piam ac religiosam consuetudinem circumferendi reverenter et honorifice praecelsum hoc et venerabile Sacramentum in processionibus per vias et loca publica, asservandi illud in Sacrario, deferendi ad aegrotos, ut constat ex perpetua Ecclesiae praxi, ex *CC. Nicaeno, Flor.* et *Trid.* l. c.

251. *Praenot. IV.* Quamvis species Eucharistiae sint alterabiles et divisibiles, non tamen Christus; quia Corpus Christi in Eucharistia nunc est gloriosum et naturaliter impassibile; ideoque nequit dici calefieri, tangi, frangi, vel misceri, quia fractio vel mixtio dicit separationem partium: recte tamen dicitur moveri, elevari, demitti in stomachum, manducari, ob motum in speciebus receptum, quibus unitus est.

252. *Praenot. V.* Quamvis physice et materialiter Sacramentum Eucharistiae sub speciebus panis sit specie aliud, quam sub speciebus vini, quatenus ipsae species materialiter sic differunt; imo licet physice tot sint numero Sacramenta, quot sunt partes specierum; moraliter tamen est unum Sacramentum, si proponatur vel sumatur per modum unius; sicut enim cibus et potus sunt unum convivium, ita corpus et sanguis sunt una refectio spiritualis. Ita *S. Th.* hic qu. 73. a. 2. in corp. Nec propterea laici accipiunt tantum inadaequatum Sacramentum, aut partem tantum gratiae, quod sub speciebus panis tantum accipiant Eucharistiam; quia sub qualibet specie (ut dictum n. 249.) est totus Christus secundum Corpus et Sanguinem; et quamvis species panis non sumantur per modum potus, nec species vini per modum cibi, quaelibet tamen species continent totum id, quod manducatur et bibitur. Denique hic *Busemb.* addit, quod hostiae in diversis altaribus consecratae recte concipiuntur ut distincta numero Sacramenta; quia plures numero species moraliter discontinuantur, existunt enim tempore et loco physice et moraliter diverso. Econtra si Sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul, imo diversas species simul sumat, non dicitur plura numero Sacramenta accepisse.

§. II. Principia generalia de sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

253. *Principium I.* Primae consecrationis materia remota, ex qua hoc Sacramentum conficitur, est panis triticeus: materia secundae consecrationis est vinum de vite. Dixi I. *Materia remota*: nam sicut in poenitentiae Sacramento peccata remittenda et destruenda dicuntur materia remota, sic in Eucharistia illud est materia remota, quod est convertendum in Corpus et Sanguinem Christi Domini: atqui panis et vinum sunt convertenda in Corpus et Sanguinem Domini: ergo. Ab aliis panis et vinum dicitur materia transiens.

Dixi 2. *Panis et vinum*; probatur ex Scriptura, ubi Matth. 26. v. 26. legimus: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est Corpus meum. v. 27. et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes* (vel ut habet Lucas c. 22. v. 17.: *Dividite inter vos*) *Hic est enim Sanguis meus* etc. Quod autem accipiens calicem in vino de vite consecraverit Sanguinem suum, indicant verba sequentia apud s. Matth. l. c. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Apud s. Lucam l. c. *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Vide etiam C. 14. s. Marci; item 1. Cor. 11. Porro apud s. Lucam l. c. praecepit Apostolis, ut idipsum facerent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Idem probatur ex constanti Ecclesiae traditione, quae nonnisi panem et vinum pro materia Eucharistiae usurpavit. *Confirmatur* ex Concilio III. Carthaginensi ab anno 397. ubi Cap. 24. statuitur: *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum.*

Dixi 3. *Panis triticeus*; panis enim, ut sit materia valida, debet esse ex farina triticea, aqua naturali subacta, ad ignem tostus vel pistus. De pane triticeo loqui Scripturam, constat tum ex eo, quod loquatur de pane simpliciter tali: atqui talis erat panis triticeus, quo communiter utebantur Judaei: nam Joan. cap. 6. v. 9. quinque panes, quos puer unus e tota turba habebat, non dicuntur simpliciter panes, sed cum addito, *hordeacei*: ergo; tum ex perpetuo usu et praxi Ecclesiae, quae numquam Eucharistiam consecravit nisi in pane triticeo; ita significat *Eugenius IV.* in Decreto saepe laudato: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite*; ubi sicut loquitur de vino, quod necessario necessitate Sacramenti debeat esse de vite, ita de pane, quod necessario debeat esse triticeus. *Confirm.* 1. ex *S. Hieron.* qui in cap. 6. Isaiae v. 8: *Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis*, ita scribit: *triticum quoque, de quo panis coelestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus: Caro mea vere est cibus.* *Confirm.* 2. ex Missali Rom. ex Decreto *Trid.* restituto, jussu *Pii V.* edito et *Clementis VIII.* auctoritate recognito, ubi tit. 3. de defectu panis num. 1. ita habetur: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non remaneat triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.* Unde panis ex illo frumento, de quo dubitatur, an sit triticum, est materia dubia; de quo autem certo constat, non esse triticum, est materia plane invalida.

254. Porro esti panis triticeus tam fermentatus, quam azymus sit materia valida consecrationis, in Ecclesia tamen Latina nonnisi panem azymum adhibere licet; ita Decretum *Eugenii*: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque juxta Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.* Missale Rom. l. c. n. 3. ita habet: *Si coeperit corrumpi panis, sed non sit corruptus; similiter si non sit azymus secundum morem Ecclesiae Latinae, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Consuetudo utriusque Ecclesiae facit praeceptum.

255. De Materia proxima hujus Sacramenti mentio facta est num. 246., quod species panis et vini una cum Corpore et Sanguine Christi sint materia proxima, et intrinsece constituent hoc Sacramentum. Vide *Suarez* hic D. 42. Juxta alios actio ministri in aliis Sacramentis est materia proxima, ut ablutio in Baptismo; ergo etiam consecratio in Eucharistia est

materia proxima, ita ut verba consecrationis hoc Sacramentum intrinsece in facto esse constituent; contra quos cum communi *TT.* agit *Suar.* hic D. 42. Sect. 1. conclus. 2., tum quia potius verba dici debent constituere hoc Sacramentum in fieri, quam in facto esse, in quo est permanens, transeuntibus verbis; tum quia Patres dicunt, consecratione perfici hoc Sacramentum, non autem consecrationem esse ipsum Sacramentum. Haec quia non pertinent ad praxim, remittimus ad Theologiam Scholasticam. Sufficiat hic bene notare, quod ad Sacramentum Eucharistiae in fieri tria concurrant: 1. Materia remota, scil. panis et vinum. 2. Materia proxima, nempe Corpus et Sanguis Domini, quae succedunt pani et vino, remanentibus speciebus. 3. Verba consecratoria tanquam forma, non informans, sed efficiens conversionem.

256. Denique vino ante consecrationem ex praecepto Ecclesiastico debet admisceri modica aqua. Ita *Trid.* sess. 22. C. 7. *Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*; idque fit ob triplicem rationem ibid. assignatam: 1. *Tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur.* 2. *Tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.* 3. *Et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Capite Christo unio repraesentatur.* Juxta alios, ut refert *Bened. XIV.* de Sacrificio Missae, per eam aquae et vini commixtionem ostenditur Incarnationis mysterium, sive unio hypostatica naturae divinae et humanae, ut colligitur ex verbis orationis: *Da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps Jesus....* in qua unione cum natura humana respectu divinae se habeat ut guttula respectu immensi maris, ideo modica tantum aqua, scilicet una alterave guttula repraesentans naturam humanam commiscetur: *quo paucior, eo potior.* Vide etiam *Can. 9.* ejusdem *Trident.* sess. 22. Idem ritus confirmatur ex Liturgiis s. Petri apud Latinos, s. Jacobi apud Hierosolymitanos, s. Marci apud Alexandrinos, ss. *Basilli* et *Chrysostomi* apud Graecos, item ex Concilio Carthaginensi III. cit. pag. 178. An aqua immediate convertatur in sanguinem, an vero mediate, quando prius fuit conversa in vinum, vide in *Theol. Schol.* Communiter ac recte dicitur, *vinum usuale* converti in Sanguinem Christi, scil. vinum aqua mixtum, quale Christus adhibuisse creditur, teste s. *Hieron.*, qui in Cap. 14. Marci ita scribit: *Format (Christus) Sanguinem suum in calice vino et aqua mixtis.*

257. Principium II. *Utraque haec materia, ut valide consecratur, debet esse moraliter praesens consecranti et per intentionem consecrantis in individuo determinata.* Dixi 1. *Debet esse praesens consecranti*: tum quia id exigit veritas formae, quae continet pronomen demonstrativum *Hoc, Hic*; ad sensum autem nihil demonstrari potest, nisi sit praesens: sicut enim particula *Te* in forma Baptismi demonstrat personam praesentem, ita particulae *Hoc, Hic* demonstrant rem praesentem; ergo sicut nequit baptizari persona absens, ita nec consecrari materia absens: tum quia alias Sacerdos posset simul omnes panes in toto mundo existentes consecrare. *Confirm.* ex praxi Ecclesiae fundata in facto Christi, qui consecravit materiam praesentem. Dixi 2. *Moraliter praesens*: quia cum morali praesentia manet verus sensus formae, et satis sensibilibiter demonstratur materia consecranda: tunc autem res censetur esse moraliter praesens, quando, etsi physice non sit praesens, hoc est, sensu non attingatur actualiter, v. g. manibus aut oculis, in eo tamen loco sita est, in quo a consecrante sit perceptibilis et demonstrabilis, si non in se, saltem in

alio, *vel tanquam in toto*, ut plures hostiae in uno cumulo, etsi inferius latentes actu non videantur: *vel tanquam in proximo continente*: ut vinum in calice vel in vase ad materiam pro consecratione continendam determinato, quale est ciborium, non vero tabernaculum. Ex quibus sequitur 1. Materiam debere ita esse propinquam consecranti, ut per pronomen *hoc* vel *hic* demonstrari possit. 2. Materiam debere existere coram Sacerdote, non autem a tergo illius, vel sub mappa, vel post parietem aut aliud corpus opacum, quod non habet rationem vasis aut thecae illam proxime continentis; quia non posset sic demonstrari per pronomen independenter ab alio nutu aut signo. Quae omnia confirmantur ex consuetudine Ecclesiae, vi cuius materia consecranda debet poni supra corporale in altari, ubi Sacerdos consecrat.

258. Dixi 3. *Debet esse determinata per intentionem consecrantis*; tum quia forma Eucharistiae demonstrativa exigit determinationem rei demonstrandae; res enim indeterminata demonstrari nequit: tum quia actio debet esse circa singularia, et determinata: consecratio autem est actio: ergo per intentionem debet determinari ad singularem materiam. *Confirm.* et declaratur ex Missali Romano, quod de defectu intentionis sic habet n. 1.: *Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat, quia requiritur intentio: secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratae; atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.* Vide dicta num. 69.

259. Dixi 4. *Ut valide consecratur*; ad licitam enim consecrationem requiritur, ut quantitas materiae consecrandae non sit major, quam tempore opportuno consumi possit; alias enim foret periculum, ne computrescerent species. Porro si particulae panis vel vini tam exiguae sint, ut nequeant naturaliter sensu percipi, non possunt valide consecrari; quia nequeant demonstrari praesentes in ordine ad sensus, prout exigunt particulae *Hic* et *Hoc*: et quia Sacramentum debet esse signum visibile. Quando autem minutissima materia sensu adhuc est perceptibilis, valide potest consecrari, quia tunc vere est signum visibile; licite tamen id fieri nequit, quia est contra ritum et praxim Ecclesiae. Vide *P. Antoine* de Euchar. C. 1. q. 6. Figura hostiae consecrandae debet esse orbicularis juxta ritum Ecclesiae Latinae: item debet esse major, ut convenienter elevari ac videri possit: si absit scandalum, non peccat Sacerdos, dum in defectu majoris hostiae consecrat minorem.

260. Principium III. Forma sive verba pro consecratione panis sunt: *Hoc est enim corpus meum*; pro secunda consecratione, sive pro vino: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Licet autem singula haec verba ex gravi praecepto in consecratione adhibenda sint, ut constat ex Decreto *Eug. IV.*, traditione et perpetua praxi Ecclesiae, non tamen singula sunt necessaria ad valorem; forma enim primae consecrationis essentialiter consistit in his verbis: *Hoc est corpus meum*; altera vero juxta plurimos, et ex gravibus rationibus apud *Suarez* hic D. 60. S. 1. essentialiter consistit in his verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel in aequivalentibus: *Hic est Sanguis meus*. Ratio est: quia illa verba sunt essentialia formae Eucharistiae, quae praecisis omnibus aliis perfecte determinant ad significationem praesentiae Christi, sive ad conversionem panis in Corpus, et vini in Sanguinem Christi: atqui praedicta

verba utriusque formae perfecte ita determinant, praecisis omnibus aliis; ergo. *Min. Prob.* Verba primae consecrationis: *Hoc est corpus meum*, juxta omnes sufficienter et perfecte significant conversionem panis in Corpus Christi: ergo etiam haec sola verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*, praecisis omnibus aliis perfecte significant conversionem vini in Sanguinem. *Confirm.* Etsi Christus post verba consecratoria panis: *Hoc est corpus meum*, addiderit: *quod pro vobis tradetur* Luc. 22. 19.; haec tamen juxta adversarios non sunt essentialia; ergo a pari.

261. *Neque dicas*: omissis verbis, *qui pro vobis effundetur*, non exprimitur ratio Sacrificii, sed tantum ratio Sacramenti, quia non fit mentio effusionis Sanguinis, per quam Sacrificium completur, ut ait *S. Paulus* Hebr. 9. — *R.* Sufficienter exprimitur in actu exercito, ut ait *Babenst.* t. 8. p. 3. D. 3. §. 3. n. 27., quando per ipsum exercitium consecrandi vi verborum Sanguis a corpore mystice separatur, dum sanguis seorsim a corpore distincta actione consecratur. Plura vide in *Theol. Schol.* et supra n. 249. *Suarez* quoque ostendit l. c. in variis liturgiis omissa esse quaedam ex verbis usitatis in Ecclesia Latina; sic liturgiae antiquae Graecorum omittunt *et aeterni*, et *mysterium fidei*. Quid? quod ipsi Evangelistae omiserint illas particulas: *mysterium fidei* et *aeterni*.

262. Adverte primo: Verba essentialia consecrationis profert Sacerdos assertive et practice, reliqua vero tantum narrative, recitative sive historice: quia sola essentialia verba profert in persona et nomine Christi, reliqua vero in persona propria: ex quo tamen non sequitur, quod sine peccato gravi omitti aliquid aut mutari possit propria auctoritate de tota forma. *Laym.* l. 5. t. 4. c. 3. n. 2. et 3.

263. Adverte secundo: Juxta eundem, si aliqua verborum forma adhibeatur habens diversum sensum et significationem a sensu formae praescriptae, non erit valida consecratio, v. g. *Hoc corpus Christi*: vel *hic panis est corpus*; vel *illud est corpus meum* etc. Sin autem verba perfecte aequivalentia usurpentur, illicita quidem, sed valida erit consecratio, v. g. *Istud est corpus meum*. Vide dicta a n. 8. et seq. item n. 37. 40.

Porro etsi *SS. Matth.* et *Marcus* non scribant: *Hic est Calix Sanguinis mei*, propterea forma consueta improbari nequit; cum *S. Luc.* l. c. disserte habeat: *Hic est Calix novum testamentum in meo Sanguine*; consentit *S. Paulus* 1. Cor. 11., ubi *et calix* metonymice sumitur tanquam continens pro contento; videtur etiam haec forma esse paulo expressior, et excludens omnem metaphoram heterodoxorum; dicendo enim: *hic est Calix* etc. significatur, Sanguinem adesse tanquam potabilem. Ita *Suar.* hic D. 60. S. 2.

264. Adverte tertio: Sensus primae formae est hic: *Contentum sub his speciebus est corpus meum*. Sensus secundae formae est iste: *Hic est Sanguis meus contentus in hoc calice*. Ita *S. Th.* q. 78. a. 3. ad 1. Hunc sensum innuit *Trid.* sess. 13. C. 1. et can. 1. cit. supra n. 247. Quamvis autem, dum verba formae inchoantur, sub speciebus adhuc sit substantia panis et vini; quando tamen integra propositio finitur, desinit panis et vinum, et sub eorum speciebus adest corpus et sanguis Christi, juxta exigentiam propositionis practicae. Sic qui conficiendo circulum dicit: *hic est circulus*, vere loquitur, dum totum conficit circulum. Sensus verborum sequentium: *Novi et aeterni testamenti*: *Novi* varie exponi potest: 1. hunc esse sanguinem Christi, quo novum testamentum firmatum est juxta illud *Hebr.* 9. *Neque per sanguinem hircorum... et ideo novi testamenti mediator est.* 2. Quia in veteri praecipue fiebant promissiones temporales, novum autem aeterna dona promittit: *Qui manducat hunc panem, vivet in*

aeternum; et quia hoc novum Sacrificium testamento firmatum usque ad finem saeculi durabit, neque illi aliud Sacrificium succedet: ergo recte novum et aeternum dicitur. *Suar.* l. c. S. 3. Recte etiam sanguis Christi dicitur *testamentum*; est enim authenticum instrumentum, quo continetur ultima voluntas Redemptoris satisfaciendi pro peccatis nostris per mortem suam: est etiam sanguis Christi confirmatio testamenti, sive promissionis a Christo factae Joan. 6. *Qui manducat etc.* Per *τὸ mysterium fidei* indicatur, hoc Sacramentum esse unum ex mysteriis fidei maxime reconditis, in quo aliud videtur, aliud sub speciebus latet. Alludit *S. Paulus* 1. Tim. 3. v. 9. de Diaconis: *Habentes mysterium fidei in conscientia pura, quod Emmanuel.* Sa ita exponit: *cum puritate conscientiae calicem ministrantes populo*; quod olim erat officium Diaconi. Sequitur: *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, h. e. juxta *Chrysost.* et *Theophyl.* *pro vobis*, scil. discipulis meis, et *pro multis*, h. e. omnibus aliis; omnes enim etiam sunt multi. Vel juxta *S. Th.* *pro vobis*, id est Sacerdotibus, qui offerunt; et *pro multis*, id est, pro laicis omnibus, pro quibus offertur. *Effundetur*: in sensu litterali intelligitur de reali effusione facta in passione, in cujus memoriam fit hoc Sacrificium.

265. Principium IV. *Minister conficiens hoc Sacramentum est solus Sacerdos.* Est de fide. Sicut enim Christus in ultima coena solis Apostolis consecrandi potestatem dedit per illa verba: *hoc facite in meam commemorationem*; ita eandem in solis Apostolorum successoribus legitime vocatis et ordinatis continuari voluit in sua ecclesia, ut semper tenuit eadem. Hinc Conc. Lateran. IV. c. *firmiter*, ita definit: *Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* *Trid.* sess. 22. Can. 1. ita definit: *Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

266. Ut Sacerdos *valide* conficiat Eucharistiam, requiritur 1. ut sit *mas*, et rite ordinatus. 2. Ut adhibeat debitam materiam et formam. 3. Ut habeat intentionem saltem virtualem consecrandi. Vide dicta n. 49. et seq. Ut *licite*, requiritur 1. ut non sit notatus Ecclesiastica censura. Hinc *valide* quidem, sed non *licite* consecrat Sacerdos apostata, haereticus, excommunicatus, degradatus etc.; quia character sacerdotalis est indelebilis, et potestas nulla humana potestate auferibilis. Vide dicta n. 54. 2. Ut habeat eandem dispositiones corporis et animae, quas communicans, nempe ut sit jejunos et in statu gratiae; quia nunquam licet consecrare extra Missae Sacrificium, hoc autem dum peragit, semper etiam sumit Eucharistiam, et quidem de suo Sacrificio, non alio.

267. Solus Sacerdos est etiam Minister ordinarius Eucharistiae dispensandae. Hanc ut licite dispenset, requiritur in suscipientem jurisdictionem vel *ordinaria*, quam habent Papa, Episcopus, et Parochus, vel *delegata*, quo reducitur communiter et prudenter praesumpta, quando fideles extra tempus paschale in alia parochia devotionis gratia S. Eucharistiam petunt: aut *privilegium speciale*, quo gaudent Regulares ad distribuendam s. Communionem in suis templis. Ex commissione Sacerdotis ordinarii etiam licite distribuit communionem Diaconus, nullus autem inferior clericus, multo minus laicus. *Primum* probatur ex 1. Cor. 4. 1.: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sicut enim, ut ait *S. Th.*, ad Sacerdotes jure divino spectat confectio, ita ad eos pertinet dispensatio Eucharistiae. *Conf.* ex *Trid.* sess. 13. C. 8.: *In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sa-*

cerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tanquam ex Apostolica traditione descendens jure ac merito retineri debet. *Secundum* constat ex privilegiis Regularium. Societati Jesu id concessit *Paulus III.* anno 1545. in Bulla: *Cum inter*; idem anno 1549. in Bulla: *Licet debitum.* *Tertium* infra probabitur C. 6. de Sacram. Ordinis.

268. Princip. V. *Licet Eucharistiae susceptio nec in re, nec in voto necessaria sit necessitate medii tam parvulis, quam adultis; necessaria tamen est ex praecepto divino adultis, qui rationis usum adepti sunt; quod praeceptum obligat per se loquendo in articulo mortis, et saltem aliquoties in vita: ex praecepto autem Ecclesiastico obligantur sub peccato mortali omnes fideles, postquam ad plenum rationis usum et annos discretionis pervenerint, ad suscipiendam Eucharistiam tempore paschali, et quidem e manu proprii sui Parochi.*

Primum probatur ex eo, quod parvulis juxta hodiernam Ecclesiae praxim Eucharistia non detur, votum autem sive desiderium illius elicere nequeunt. Ita expresse docet *Trident.* sess. 21. C. 4. *Parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae communionem*; quia adeptam in Baptismo gratiam in illa aetate amittere non possunt; adulti vero etsi sine Eucharistia non tam facile, absolute tamen gratiam obtinere possunt: nec aliunde absoluta necessitas probari potest: ergo. Nec obstat paritas cum cibo corporali; cibus enim Eucharisticus cum illo tantum convenit in eo, quod nutriat, et augeat, non autem quod absolute conservet vitam spiritualem; alias sicut Indies cibus corporalis sumitur, ita quotidie sumenda esset a quolibet Eucharistia. Ex textibus afferri solitis probatur necessitas praecepti: praesertim ex illo *Joan. 6.* *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus tamen verbis non sequitur, etiam laicis communicandum esse sub utraque specie, quia, dum sub specie panis accipiunt corpus Christi vivum, etiam accipiunt sanguinem, quem proinde aequivalenter bibunt, et quoad rem plenum accipiunt convivium, licet non quoad modum sicut Sacerdotes. Neque propterea defraudantur laici aliquo fructu Sacramenti, nam eadem vita promittitur *Joan. 6. 51.* *carnem manducanti, quae manducanti carnem et simul bibenti sanguinem: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et v. 58.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Vide *Trid.* sess. 21. C. 3. *Ibid.* Can. 1. 2. et seq. *Confirm.* Actor 2. de primis fidelibus legitur: *Erant... perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Vide n. 252.

Praeceptum Ecclesiasticum habetur ex Conc. Lat. IV. relatum in c. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remiss. *Trid.* sess. 13. Can. 9. ita statuit: *Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit.* Poena quoque transgressori hujus praecepti statuitur in c. cit. *Omnis: Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Huic praecepto communionis paschalis non satisfiit per communionem sacrilegam, ut constat ex propos. 55. damn. ab *Innocentio XI.* Praeceptum enim Ecclesiasticum determinando tempus sumendi Eucharistiam absque dubio non alium modum sumendi Eucharistiam simul praecepit, quam quo communio praecipitur praecepto divino; atqui praecepto divino praecipitur digna communio: nam *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et Sanguinis Domini.* 1. Cor. 11. 27. ergo.